



**Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen
Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark
Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1862

XXXII. Gebhard vom Berge, Ritter, bekundet den Verkauf des Dorfes
Hildensem mit dem Patronat der Kirche daselbst an das Kloster Diesdorf,
am 24. März 1303.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55716)

XXXII. Geshhard vom Berge, Ritter, bekundet den Verkauf des Dorfes Hildensm mit dem Patronat der Kirche daselbst an das Kloster Diesdorf, am 24. März 1303.

In nomine domini Amen. Omnibus hoc scriptum visuris siue auditoris in perpetuum. Gheuehardus de monte, miles, Berta, uxor eius, Seghebandus filius gheuehardi militis iam predicti — volumus — scire vniuersos et singulos, quod nos, volentibus omnibus nostris heredibus et bona consentientibus voluntate, rite et rationabiliter, vendidimus discreto viro Aluerico preposito, yde priorisse Totique conuentui Monasterii in Distorp totalem villam, Hildensm dictam, cum omni iure et proprietate, videlicet Aduocacia, quoad iudicium maius et minus, cum iure patronatus ecclesie eiusdem ville, decima, campis, agris, cultis et incultis, viis, inuiis, nemoribus, rubetis, paschuis, pratis, Aquis, piscariis et cum omnibus terminis, quibus ipsam villam habuimus et possedimus ab antiquo. Excipimus tamen hinc domini Marchionis Domum et Curiam versus occidentem cui adherent quatuor mansi, quam olim inhabitabat Johannes, miles, dictus balch, que semper fuit, est et erit ab onere petitionis exactionis penitus segregata et exempta. Si vero aliquis principum vel hominum plus iuris se forsitan habere diceret in ipsa villa, hoc totum a festo pasche nunc futuro hincinde infra annum et diem tenebimur Domino preposito et suo monasterio disbrigare. Quod si non faceremus, ex tunc cum nostris compromissoribus Militibus et famulis infra scriptis, qui vna nobiscum pro warandia ville promiserunt, tali scilicet, quo pro bonis, dictis lantervegyt obseruari solet, Ciuitatem vlsen intrabimus ad iacendum, non inde exituri, nisi predicta villa ab vniuersis et singulis inpetitionibus et impedimentis sit totaliter disbrigata. Preterea litteras principum procurabimus patentes super proprietate huius ville, prout Domino preposito et suo monasterio dinoscuntur Super hiis omnibus et singulis integraliter obseruandis, Nos gheuehardus, miles, de Monte prenotatus Et filius noster Seghebandus famulus, primo, Et nos Heynricus de Monte, Henricus de Serkem, Ottho rone, Fredericus frater eius, dictus baruoth, Conradus de Estorp, Milites, Wafmodus kint, Seghebandus filius Thiderici militis de monte bone memorie, Seghebandus seghebandi filius de monte, Echardus de boyceneborch, Euerardus de oden, famuli pro ipsis et cum ipsis domino preposito ad manus suas et sui monasterii Conrado de Boldensele, Paridamo de knesbeke et Hinrico Ribe, militibus, Necnon et nobili viro comiti de Lvchowe, in hiis scriptis, quousque sui copiam habere possimus, simul et singuli in solidum promissimus, fide super hoc prestita manuali. Si quis vero, quod ablit, ex nostris moreretur compromissoribus, nos Gheuehardus vel noster filius Seghebandus cum aliis nostris compromissoribus sex infra mensem iterum ingrediemur, non exgressuri, nisi prius ponamus alium equedignum et ydoneum loco sui. Est quoque adiectum vt litteris super proprietate et libertate iam dicte ville a dominis principibus domino preposito et suo Monasterio procuratis et perseveratis et tempore nostre warandie completo erimus omnes et singuli a promissionibus nunc factis liberi et soluti. In premissorum omnium obseruantiam plenariam et perpetuum testimonium presens scriptum domino preposito, qui nunc est et qui fuerit pro tempore, et suo Monasterio Distorp nostris sigillis dedimus insignitum. Datum Lvneburgh, Anno Domini Millesimo Trecentesimo Tercio, Dominica qua cantatur Jvdica me Deus.

Su dem Original ist an sehr vielen Stellen die Dinte völlig erloschen.